221430

Actum in Ciuitate Regia Kovalevienſi coram Judicio Ciuili Scabinali Feria Quinta poſt Dominicam Miſericordiae proxima Anno Domini Milleſimo Septingenteſimo Quinquageſimo Tertio.





Ad Judicium Actaque praeſentia Ciuilia Scabinalia Kovalevienſia (Quoniam Acta Caſtrenſia Kovalevienſia Palatinatus Culmenſis ad praeſens vacant; nec ad ea aditus patet) perſonaliter veniens prouidus Albertus Zielinſki Miniſterialis Regni generalis ibidem nomine Nobilis et Spectabilis Magiſtratus totiusque Communitatis Ciuitatis Thorunenſis, ſubſequentem ſolennem in parata Copia intulit infertque proteſtationem et manifeſtationem: Quandoquidem modernis Proteſtantibus ſummo animorum ſuorum dolore innotuit, dari quosdam incerti nominis et ſtatus homines, qui omnis honeſtatis, conſcientiae, timoris denique Dei obliti, non ſolum occaſione Primatialis Citationis, modernis Proteſtantibus die quinta Aprilis a. c. inſinuatae, eiusque apud Thorunenſes ac ſi iniurioſae receptionis innumeras easque falſiſſimas Nouellas confingere et per Regnum Poloniae, quam late patet, diſpergere praeſumpſerunt, verum tandem etiam eousque proteruiae ſe prouehi paſſi ſunt, ut quasdam Literas plebeio et in formalia Aularum Regiarum ubiuis impingenti ſtylo conſuere easque ſub Titulo Reſponſorialium Sereniſſimi Regis Boruſſorum ad Thorunenſes, die Decima Septima Martii a. c. ac ſi datarum, diuulgare non erubuerint auſique fuerint, nulla alia intentione, quam ut teterrimis his technis, Procerum Regni animos ſenſim praeoccupent, Gentiumque odium in Ciuitatem Thorunenſem, miris iam modis exagitatam magis magisque concitent. Proinde, idem qui ſupra Prouidus Albertus Zielinski, nomine et iuſſu praedictorum ſuorum Principalium, conſulendo eorundem Honori et Innocentiae, praecauendoque, ne vel hae adeo craſſae omnique veriſimilitudine deſtitutae fictiones ubi ſilentio prae-

praetermissae fuerint, apud rerum imperitos pro agnitis habeantur, vel saltim aliquid ex vero traxisse, videantur, contra atroces illas calumnias et suppositiones, in ipsa capita Coronata iniuriosissimas, iterum iterumque protestatur, solennissimeque declarat, tum Nouellas de iniuriosa illa Citationis Primatialis receptione, tum responsoriales illas literas, et quem praesupponunt a parte Ciuitatis Thorunensis ac si factum anterius recursum mera esse hominum malitiosorum et à Consiliis publicis Magistratus Thorunensis remotorum hominum, mendacia, cum nonsolum Primatialis Citatio, licet per Jura Regia, specialesque Ciuitatis Thorunensis immunitates attendi nequiuerit; summa tamen veneratione modestiaque suscepta fuerit; verum etiam moderni Protestantes, sub Fide, Honore, et Conscientia testari queant, actuque testentur, se in Negotio quaestionis nequaquam ad Regiam Aulam Borussiae recurrisse, consequenter etiam eiusmodi Responsoriis, quae circumferuntur, nullam probabilem occasionem dedisse; Manifestando simul eosdem suos Principales contra harum insolentium Nouellarum et Suppositionum Autores omnibus vestigiis indagaturos, atque contra illos qua Diffamatores, Pacisque publicae, quantum in ipsis est, friuolos turbatores, ubi detecti fuerint, in foro competenti, poenaliter acturos esse, Jure communi et Regni, hacque querela suffragante facultate hanc Protestationem Manifestationemque, augendi, minuendi, cassandi, ac, si opus fuerit, aliam in eius locum substituendi, per omnia salua reseruata

(L.S.)

Ex Actis Ciuilibus Scabinalibus Kovaleviensibus Extract.

Joannes Martynowicz
Scabinus Kovaleviensis in absentia Notarii mpp.